









10.

3ra. 27. num. 3.

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
PROXENETIS  
ET PROXENETICIS

1772, 3  
8

2994.

EX DECRETO ET AVCTORITATE ILLVSTRIS  
ICTORVM ORDINIS

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI AC CONSVLTISSIMO

DN. HERMANNO BECKERO

LL. DOCT. ET P. P. O. IN REG. GRYPHICA ACADEMIA  
ORD. ICTOR. SENIORE ET P. T. DECANO

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES ET PRIVI-  
LEGIA DOCTORALIA LEGITIME CONSEQUENDI

D. 24. APRIL. ANNO MDCCLXXII

HORIS CONSVETIS

PVBlice DEFENDET

AVCTOR

IOHANN GOTTLIEB TADDEL

GVSTROVIENSIS CANCELLARIAE DVCALIS IVSTITIAE, QVAE  
ROSTOCHII EST, ET CONSISTORII PROCVRATOR  
ORDINARIVS.

GRYPHISWALDIE

LITTERIS A. F. RÜSE  
REG. ACAD. TYPOGR.











## INGRESSVS.

**O**mnes iuridicae veritates, quae in iurispruden-  
tia positivae, quatenus obiectivae sumuntur, pro  
complexu veritatum quae ex arbitrio legisla-  
toris ad obtinendam publicam salutem sui ter-  
ritorii, in legibus a se promulgatis iura atque obligatio-  
nes concernentium, determinantur atque constituuntur;  
docentur atque pertractantur aut sunt, sicuti notum est,  
quam quod notissimum, veritates, quae ipsa iura, ipsas-  
que obligationes in negotiis in republica obuiis secundum  
legum dispositionem concernunt, aut veritates non tam  
ipsa iura, ipsasque obligationes concernentes, quam  
potius modum negotia iuridica obuia ita secundum le-  
gum praescriptum peragendi, vt iuribus et obligatio-  
nibus in legibus determinatis conformiter fiant. Primum  
genus veritatum sicuti nobis sistit iurisprudentiam theo-  
reticam, ita secunda species veritatum iuridicarum in  
formam artis et certum systema redacta practicam sistit  
iuris-



4

jurisprudentiam positivam. Vtraque Icto necessaria est, antequam Icti nomen sibi tribuere potest, et a iuris perito seceratur, qui sola callet iurisprudentia theoretica. Haec autem iurisprudentia practica, sicuti per supra adducta modum sistit peragendi negotia iuridica, ita, vt iuribus ac obligationibus in legibus determinatis conformiter fiant, negotia autem iuridica duplicis generis sunt, partim talia, quae non nisi in iudicio legitime constituto praesente et dirigente iudice fieri possunt, hinc in ipso loco iudicii peraguntur, et exinde negotia iuridica iudicialia vocantur, aut talia, quae et extra locum iudicii inter partes absente iudice peraguntur, hinc extraiudicialium negotiorum nomine veniunt, etiam ipsa iurisprudentia practica merito in duas partes dispescitur, iurisprudentiam nempe practicam extraiudicialem seu systematicum complexum veritatum iuridicarum, quae nobis sistunt modum negotia iuridica extraiudicialia legitime peragendi, ita vt iuribus et obligationibus hunc in finem in legibus determinatis conformiter fiant, et iurisprudentiam practicam iudicialem, seu systematicum complexum veritatum iuridicarum quae docent modum negotia iuridica iudicialia legitime, i. e. legibus conformiter peragendi.

§. I.

**I**urisprudentiam practicam extraiudicialem, licet propter maiorem numerum negotiorum extraiudicialium in republica obuientium ampliozem et prolixiozem habeat campum, quam iurisprudentia practica iudicialis, Ictus tamen in pertractanda iurisprudentia primo loco curare debet, atque sibi cognitam facere hanc iurisprudentiam practicam extraiudicialem, antequam se ad pertractandam iurisprudentiam practicam iudicialem accingat, partim quia in ipsa iurisprudentia theoretica scienti-



scientificè cognoscenda ea carere non potest, partim quoque quia principia illi suppeditat, quibus in ipsa iurisprudentia practica iudiciali rite cognoscenda et diiudicanda indiget, et hinc re rectius pensitata regulam constituit, cum contra ea iurisprudentia practica iudicialis in expediendis negotiis iuridicis, magis exceptiones, ex natura iudicii legitime constituti in expeditione negotiorum iuridicorum formandas; et limites suppeditat.

§. 2.

Ipsa autem illa iurisprudentia practica extraiudicialis pro diversitate obiecti et negotiorum, quorum modus peragendi docetur atque pertractatur, diuersas subpartes iterum complectitur, quae quidem pro methodo arbitraria varia ratione formari possunt, sed nisi omnia nos fallunt in systematica pertractione harum veritatum optima ratione, secundum methodum Illustr. NETTELBLADT: Antecessoris Hallensis celeberrimi, ad analogiam iurisprudentiae theoreticae tres hic subpartes formantur, prò vt scilicet docetur modus rite et legitime peragendi negotia iuridica extraiudicialia priuata, quae singulas ciuium personas in republica, earumque res solummodo respiciunt, et hinc negotia priuata dicuntur, inde oritur iurisprudentia practica extraiudicialis priuata; aut rite atque legitime secundum praescriptum legis peragendi negotia iuridica, quae integram rempublicam et inspecie in ea imperantem, eiusque iura et obligationes concernunt, aut ad minimum omnium ciuium in corpore atque simul sumtorum res et personas, et hinc dicuntur negotia populi publica publica recentiori stylo, v. c. homagii praestationem, *die Huldigung*, laetionem legum, *Gebung derer Gesetze*, capitulationes imperantium, *Wahlverträge* formandi, et peragendi



modum, vnde venit pars iurisprudentiae practicae extraudicialis, quae iurisprudentia practica extraudicialis publica vocatur. Aut denique tractantur veritates, quae docent modum rite et legitime peragendi negotia iuridica inter gentes obvia, v. c. pacis pactionem Friedensschlüsse, declarationem belli, inducias et sic porro faciendi, et pangendi modum legitimum, quae sub nomine iurisprudentiae practicae extraudicialis gentium *der practischen Völker Rechts-Gefahrheit* venit. Varium enim ac plane diuersum modum haec diuersa negotia rite atque legitime, ita vt iuribus ac obligationibus in legibus determinatis conformiter fiant, peragendi requiri, cuiuslibet debita cura haec diuersa negotia pensanti in oculos statim incurrit.

§. 3.

In iurisprudentia practica extraudiciali priuata, quae per supra adducta modum docet legitime peragendi negotia extraudiciali iuridica, quae singulas solum personas ciuium singulorumque subditorum res concernunt, omnia quae pertractanda manent, docente *NETTELBLADT* in systemate vniuersali totius iurisprudentiae positivae cit. commode ad duo momenta principalia hinc duo capita reduci possunt, primo enim loco exponendae manent veritates generalissimae expediendi eiusmodi negotia; et deinde quae in singulis negotiis specialibus expediendis obseruanda, addenda sunt.

§. 4.

Circa modum expediendi eiusmodi negotia extraudicialia priuata in genere, omnia quae dici merentur, ad quinque praecipua momenta redeunt 1) enim de fide iuridica in genere tractatio fieri debet 2) de personis in genere



genere per quas expeditio horum negotiorum fit 3) de clausulis salutaribus hisce negotiis expediendis iungendis 4) de modis diuersis haecce negotia expediendi 5) autem de scripturis negotia iuridica continentibus in genere tractandum erit.

§. 5.

Ad primum momentum generalia scilicet de fide iuridica quod attinet erudita ac singularis dissertatio celeberrimi ICI THOMASII quae exstat, omnia huc spectantia exacte sistit, ex qua generalia quaedam indicis loco repetere sufficit. Fides enim in negotiis in genere adest quando de facto hactenus dubio ita constat, ut in dubium porro vocari nequeat, et hinc quando eum, cui fidem de negotio facere debeo conuictum reddidi, ita ut nullum dubium illi remaneat, plena fides adest. Id quod tamen in negotiis iuridicis, sicuti in moralibus in genere, non semper fieri potest. Potius per saepe contingit, ut ille cui fidem facere debeo de negotio, meis assertionibus fidem tribuat, immo nonnumquam ne lites inter subditos sint perpetuae, secundum praescriptum legum posituarum illis fidem habere debet, licet in se non satis conuictus sit, ut omne dubium cesset. Et hinc oritur fides sic dicta iuridica, quando scilicet factum quoddam quoad effectus civiles non amplius in dubium vocari debet, licet interna conuictio de veritate facti adhuc desit. Sic quando ponamus hominem in legitimo matrimonio legitimo tempore natum, et vtrumque hoc probari potest, fides iuridica adest de legitimis eius natalibus, et quod legitimus sit. Licet tamen forsitan ex concubitu extramatrimoniali generatus et conceptus sit, ita ut ne quidem propria confessio matris de adulterio commisso, aliis indiciis et rationibus non stipata, contrarium docere non possit, quippe cui propter confessionem propriae



propriae turpitudinis in praeiudicium filii, tanquam ter-  
 tii, fides non habetur. Eodem modo quando delin-  
 quens de homicidio commissio suspectus antecedentibus  
 contra eum legitimis et sufficientibus indiciis ad tortu-  
 ram condemnatur, et in actu torturae confitetur hocce  
 homicidium a se commissum, cum adlegatione circum-  
 stantiarum, quae innocens scire, ad minimum facile  
 scire non potest, seu sicuti verba legis sonant, *die kein  
 unschuldiger leichtlich wissen mag.* Ponamus tunc iudi-  
 cem inquirentem inveritatem harum specialium circum-  
 stantiarum curate inquirere, et omnes veras invenire,  
 quae a delinquente adductae sunt speciales circumstan-  
 tias. Ponamus porro confitentem delinquentem in ipso  
 termino ratificationis firmiter et constanter permanen-  
 tem in sua confessione. Tunc fides iuridica adest quod  
 homicida sit. Fallere concedo hoc potest, et non ob-  
 stante hac sua confessione innocens esse potest confitens  
 immo iudex propter irreprehensibilem moralem caracte-  
 rem huius hominis sibi cognitum atque aliunde perspe-  
 ctum dubitare forsitan adhuc potest de veritate huius  
 confessionis, ad minimum in animo non satis convictus  
 esse sed tamen Art. 22. C. C. C. expressè disponit, quod  
 quoad effectum condemnationis factum non amplius in  
 dubium vocari debeat, licet iudex decernens in se non  
 satis convictus sit. Hinc fides iuridica adest. Ex qui-  
 bus autem quoque simul per se patet nullam fidem iuri-  
 dicam in negotio obuio adsumi posse aut locum invenire,  
 nisi lex adsit, quae disponit, quod his circumstantiis  
 concurrentibus probatis quoad effectus civiles in repu-  
 blica factum non vltra in dubium vocari debeat. Eius-  
 modi lege deficiente nec quoque iudex factum pro vero  
 habere debet, nisi in se, interne, et quoad conscientiam  
 ex actis et probatis convictus sit certo de veritate facti.  
 Exi-



Existente autem eiusmodi legali dispositione non potest solum, sed debet secundum hoc factum tanquam indubium atque certum suam decisionem et sententiam proferre.

§. 6.

Personas, quae expeditionem negotiorum iuridicorum extraiudicialium priuatorum peragunt, quod attinet, sunt illae vel tales, quas per se et directo negotium ipsum expediendum concernit, ut emtor atque venditor in contractu emtionis venditionis e. f. p. et personae principales vocantur; aut tales quas ipsum negotium expediendum per se quidem non concernit, sed quae per in directum solummodo concurrunt in expeditione et hinc personae accessoriae vocantur.

§. 7.

De personis principalibus proprie et commodius in pertractatione speciali de expeditione cuiuslibet negotii iuridici specialiter agi potest et debet, immo ipsae doctrinae iurisprudentiae theoreticae omnia, quae hic notanda manent iam satis docent. Quoad personas accessorias autem in expeditione negotiorum iuridicorum extraiudicialium priuatorum in se quidem impossibile est regulam quandam generalem determinare constituentem, an et quaenam personae accessoriae secundum legis dispositionem accedere debeant in valida et legitima expeditione eiusmodi negotiorum extraiudicialium priuatorum. Sed potius in genere hic ad duo momenta generalia respiciendum manet.

I) In regula enim haut est necessaria adhibitio eiusmodi personarum accessorarum in expeditione negotii

B

iuri-





iuridici extraiudicialis priuati, sed potius ab arbitrio personarum principalium hoc pendet, et etiam absque illis negotium extraiudiciale priuatum valide fieri potest: nisi

a) partim conditio personarum principalium et defectus in earum persona aut naturales aut ciuiles ex legis dispositione adhibitionem certarum personarum accessoriarum requirunt, vti v. c. in minorennibus, mente captis, prodigis, absentibus immo secundum statuta nonnullorum locorum, v. c. in iure Lubecensi foeminis contrahentibus et paciscentibus, et tunc quoque negotium iuridicum priuatum extraiudiciale illegitimum, in efficax et inualidum manet, nisi personae illae accessoriae in legibus requisitae adfuerint. Sic contractus a minorenni aut prodigo initus non valet absque consensu tutoris aut curatoris accedente. Partim autem et

b) leges speciales positivae nonnumquam adfunt, quae non quidem propter conditionem personarum principalium negotium expedientium, sed tamen ex alia ratione publica praesentiam certarum personarum accessoriarum in valida atque legitima expeditione negotiorum iuridicorum extraiudicialium priuatorum requirunt. Sed tamen in hoc vltimo casu distinguendum manet, an praesentia personarum accessoriarum, earumque concursus in lege a legislatore solius probationis causa, aut solemnitatis causa et sub poena nullitatis requiratur. In illo enim casu negotium expeditum eum effectum specialem quidem non habet, quem habuisset, si personae accessoriae adfuissent, sed tamen in se non est nullum atque inualidum. Sic v. c. a debitore hypotheca in praesentia testium et cum eorum subscriptione, constitui potest creditori, sed quoque absque testibus et absque eorum sub-



subscriptione. Si itaque testes in constitutione ipsa non  
 adfuerint, nec subscripserint chirographum, in quo  
 constituitur et promittitur hypotheca, priuata solummo-  
 do manet hypotheca. Praerogatiuam tamen hypothe-  
 cae quasi publicae non habet, sed ad conciliandam hanc  
 praerogatiuam per L. II. C. qui potior. in pignor. prae-  
 sentia et subscriptio trium testium fide dignorum requi-  
 ritur. Conf. MANTZEL in diss. de duob. vel trib. viris  
 honest. sic passim extra Megapolin quidem valent spon-  
 salia absque testibus celebrata, sed manent tamen clande-  
 stina et hinc publicis etiam posterioribus cedere debent.  
 Donatio inter viuos valet etiam absque testibus fa-  
 cta. Sed in vtroque casu probatio adhibitis testibus est  
 facilior. Porro hoc in casu omnes absque discrimine, si  
 modo fidem habeant, masculi et foeminae, liberi et  
 serui loco harum personarum accessoriarum adhiberi  
 possunt. Quando autem hoc in casu leges praesentiam  
 eiusmodi personarum accessoriarum solemnitatis causa  
 et sub poena nullitatis requirunt, totum negotium tan-  
 quam forma sua destitutum nullum est et non valet, nul-  
 lumque effectum producit nisi adhibitis in expeditione  
 negotii personis accessoriis in lege requisitis. Sic in pro-  
 uincia Megapolensi secundum tenorem Ordinationis  
 Consistorialis sponsalia absque testibus celebrata *Winfel-*  
*Berlöbnisse* vocantur, et nullius sunt valoris, licet et-  
 iam forsitan per iuramenti delationem probari possent.  
 Donatio mortis causa absque praesentia quinque testi-  
 um est ipso iure nulla. Et praeterea in adhibitione ha-  
 rum personarum accessoriarum ad id vt negotium vali-  
 dum et efficax subsistat, ad habilitatem personarum ad-  
 hibendarum secundum legis dispositionem accurate et  
 caute respiciendum manet. Sic v. c. in confectione te-





stamenti priuati solemnis, quando inter septem testes adhibitos serui, foeminae, aut alii testes inhabiles, testamentum ipsum fit inefficax invalidum, et nullum. Remissio cambii trassati cum protestatione effectum processus cambialis non producit, nisi per documentum Notarii adhibitis testibus de facta protestatione testantis doceri possit.

§. 8.

Praecipuae autem personae accessoriae in expeditione negotiorum iuridicorum extraiudicialium priuatorum adhibendae sunt mandatarii, tutores atque curatores adfidentes, notarii et proxenetae. Proxenetae qui etiam mediatorum, mediorum ministrorum pariorum, intercessorum, conciliatorum, internunciorum, interuentorum, amicorum nomine passim veniunt in legibus et Ictorum scriptis, sunt qui in negotiis extraiudicialibus iuridicis conciliandis, aliis operas praestant, seu qui eiusmodi negotiis qualibuscunque conciliandis operam suam accommodant, *die Märler* sicuti hodie nonnumquam quibusdam in locis, praesertim celebrioribus empiriis vocantur. Ita enim *VLPIANVS* in *L. 2. D. de proxenetis* dicit *quod proxeneta interueniat, ut multi solent, faciendi nominis*: sed et in verbis finalibus *L. 3. D. eod.* se declarat, *quod proxenetarum modus sit, qui in entionibus venditionibus, commerciis, contractibus licitis utiles non adeo improbabili more se exhibent.* Hisce autem personis in regula non solummodo licet remunerationem operarum suarum accipere, sed etiam licet antea non expresse promissam et stipulatam, tamen exigere, quae remuneratio, aut honorarium proxenetis debitum, proxeneticum, philanthropum, *die Märler*  
cour-



courtage provision diuerso respectu negotiorum per proxenetas promotorum vocatur sic enim expresse in L. 1. D. de proxenet. disponitur: *proxenetica iure licito petuntur*: Et ipsa naturalis aequitas iam docet, neminem ad operas suas alteri in conciliandis in eius commodum negotiis gratis praestandas obligatum esse. Potius et vox legum naturalium et diuinarum docet, *daß ein Arbeiter seines Lohnes werth sey*. Interim tamen in exigendo et stipulando proxenetico modum seruire, et quantitatem exigendam ultra limites aequitatis et legum non extendere tenentur. Quando enim limites in exigendo et stipulando proxenetico excedunt actio non solum contra accipientes in legibus conceditur ad restituendum, sed et exigentibus actio denegatur. In hoc autem modo et quoad limites proxenetice in legibus praescriptos partim ad summam et quantitatem philanthropi quam exigunt et accipiunt proxenetae, partim ad qualitatem negotii, quod conciliant, et prout plus aut minus operarum impendere debent, partim ad qualitatem personarum principalium, quarum commodum promouent, eiusque commodi qualitatem et quantitatem iudici in arbitrando respiciendum manet. Vnde VLPIANVS in L. 3. D. eod. post verba: *de proxenetico, quod et sordidum solent praesides prouinciae cognoscere*: addit. *sic tamen ut in his modis esse debeat et quantitatis, et negotii in quo operula ista definiti sunt, et ministerium quale accommodauerunt*. Facilius (quod Graeci ἐγγειρονομον i. e. interpretatium seu interpretis honorarium appellant) peti apud eos poterit, si quis forte conditionis, vel amicitiae, vel assessurae, vel cuius alterius huiusmodi proxeneta fuit. Sunt enim eiusmodi hominum ut tam in magna ciuitate, officinae. Vnde et Helmstad. Icti testante LEX-





SERO spec. 681. med. 6-8. in lite inter emtorem atque venditorem de residuo pretii molendini venditi per longam annorum seriem durante, in qua denique tota res iuramento a venditore praestando per sententiam committebatur, quo praestito emtores magnam pecuniae summam soluere debebant venditori, sed procurator venditoris interueniens hanc summam venditori praestandam ad conciliandam ante praestationem iuramenti transactionem fuscipiebat, ita tamen vt emtores procuratori interuenienti et transactionem procuranti traditionem certorum fundorum, et praeterea paratam solutionem 152 thalerorum promittentes postea hanc suam promissionem procuratori tanquam proxenetae factam ex capite legis Anastasiana, quia procurator non tantam summam, sed minoris pretii summam solummodo actu soluisset solutionem promissae paratae pecuniae negabant, tamen huic procuratori, tanquam proxenetae ius exigendi integram summam promissam per sententiam adiudicabant, ex ratione decidendi, quia procurator ad instar proxenetae ius exigendi remunerationem et philanthropum competeret, nec etiam sicuti in lege Anastasiana casus praesupponitur hoc in casu lis diuexandi animo in alterum translata, sed potius sopita atque per transactionem sublata hinc cessaret ratio legis Anastasiana, ergo et adplicatio ad praesentem casum. Sed quando proxeneta ad sordidum negotium et negotium lege poenali prohibitum conciliandum scienter accedit, nec proxeneticum exigere potest, quia ad instar mandati turpis consideratur, ex quo inter contractantes nulla obligatio L. 6. §. 3. et L. 22. §. 6. D. mand. sed potius tanquam concurrrens ad crimen, et socius consideratur, et ipse punitur: Conf. **MAYER** in colleg. Argentor.



Argentor. tit. de proxenet. §. 13. vbi ad probandam hanc suam sententiam ad exemplum ministrorum et mediatorum in adulterio et stupro et Nov. 134. cap. 10. pr. L. 37. §. 1. D. de minor. L. 4. §. 2. D. de his qui notantur inf. L. 7. D. ad L. POMPEI: de paricid. et DD. prouocat. Quo in casu tamen quaestio a Ictis mouetur an proxeneta eadem illa poena, qua delinquentes principales, et hinc ordinaria, an mitiori puniendus sit. Proponit hanc quaestionem ipse LEYSER. spec. adl. med. 15. et promitiori sententia et poena pugnat, ex ratione, quia proxeneta non directo, sed oblique solummodo ad crimen, hinc minus plene concurrat, quem in finem prouocat iterum ad sententiam Helmstad. Ictorum, qui sororem fratrem ex carcere corrumpendo custodes liberabat. Sed pace Viri Celeberrimi ratio in illo casu plane singularis, et fauor personae ac amor erga fratrem naturalis singularem quoque mitigandi causam suppeditabat, ita vt regula generalis ex inde formari non possit. Potius et proxeneta tanquam causa sine qua non, et hinc plene concurrere potest in dato aliquo casu ad crimen, ergo tunc quoque poena ordinaria ac aequali, qua delinquens principalis iusta mitigandi causa cessante adfici et potest, et debet, quorsum et verba MAYERI l. c. tendant, quando, quod aequae ac criminum auctores ipsi obligentur, dicit. Quando contra ea proxenetae negotium per se licitum conciliant, et partes principales forsitan illis insciis, aliquid illicitum sordidum, atque sub poena prohibitum admiscerent, proxenetis quoque ad delictum, quidem, non autem ad crimen, ad minimum non scienter concurrentibus nil imputari potest, sicuti casus in LEYSERI l. c. med. 13. et 14. adductus, docet, vbi proxeneta sponsalium, licet curator



rator sponsae criminis concussionis reus iudicaretur, tamen ab omni nexu liberabatur ex ratione quia tanquam simplex nuncius intercedebat, cui solum a curatore admixtum, quod nunciabat solummodo sponso, absque omni suggestione aut suasionem non imputandum.

## §. 9.

Licet autem proxenetica per se, ac in regula licita sint in legibus declarata, de specialibus tamen quibusdam negotiis, imprimis de sponsalibus, et sacerdotio, an et proxenetas admittant, et illis, quando accedunt proxenetica hisce in casibus permessa sint, quaeritur, ita ut non solummodo proxenetica soluta retinere, sed et nondum soluta iure exigere possent proxenetae. Intuitu sponsalium ad defendendam negatiuam sententiam ut plurimum prouocant ad L. 6. C. de sponsalibus ubi in verbis initialibus imperator expresse disponit: *Constitutio vult, ne proxeneta seu conciliator nuptiarum quidquam capiat.* Sed tamen integra lege perspecta conciliatoribus nuptiarum non simpliciter et in totum interdicitur philanthropum, sed sub duabus solum conditionibus, et limitationibus, 1) ne proxeneta aliquid in hoc casu accipiat, nisi promissum et stipulatum, et 2) ne promissum proxenetikum vigesimam partem dotis transcendere debeat aut ante nuptias donationis. Praeterea adlegata, ut conspectus dat, est restituta, non glossata, et hinc nec in Germania recepta. Vnde quia in L. 1. D. de proxenet. proxenetica in genere, absque omni limitatione et restrictione ad certa negotia, si modo licita sint, uti verba finalia L. 5. D. eod. docent licita declarantur, nec sordida ac in honesta Icti autem non est, lege non distinguente ac restringente, distinguere



guere ac ad certos casus restringere generalia verba legis, et proxenetica in debita quantitate pro ratione dotis et donationis propter nuptias conciliatoribus sponfalium promissa denegari non posse merito iudicamus. Consistentes nobiscum hac in thesi iterum adducere possumus Ictos Helmstad. qui testante LEYSERO spec. 682. curatori cuius tamen consensus in nuptias secundum ius Romanum in sponfalibus minorrennium per L. 8. C. de nupt. haut necessarius in sententia permiserunt ius sibi stipulandi in desponsatione suae minorrennis Curandae proxeneticum modicum, sed et conditionem contra eum postea ad repetendum solutum institutam denegarunt et reiecerunt. Confr. STRYCK in V. M. tit. de proxenet. §. 4. Ratione autem sacerdotii negatiua illa sententia maioris ponderis videtur propter Nov. 123. cap. 2. §. 1. vbi non solum expressis verbis in genere disponitur: *Præ omnibus illud seruari sancimus vt nullus per suffragium auri aut aliarum rerum episcopus ordinetur: sed et præterea, si tamen forsitan aliquid factum, et teste atque occulte admissum, et ipsi ordinati, et dantes accipientesve et mediatores eorum secundum sacras scripturas et sanctas regulas damnationi subiiciuntur ita vt qui dat, et qui accipit, et mediator eius factus sacerdos aut clericus honore removeatur, quod autem pro hac causa datum est, ecclesiae illi vindicetur, cuius voluit sacerdotium comparare. Si vero laicus forte pro hac causa aliquid accipiat aut mediator rerum factus, datas res in duplum exigi iubeatur ecclesiae vindicandas. Immo non solum quae secundum hunc modum dantur, vindicari praecipit lex, sed et omnem cautionem pro hoc quolibet modo expositam,*



tam, vel pignorum, vel fideiussorum cautionem, vel oblationem et omnem quamlibet aliam cautionem vacare sancitur. Et qui super hoc promissionem accepit, non solum professionem reddere, sed etiam aliud tantum quantum professio continet, praestare condemnatur. Sed inspiciens integrum dictae Novellae contextum facili negotio animaduertet, de illis solummodo personis legislatori ibidem sermonem esse, qui vi officii perfecte obligati ad beneficia ecclesiastica digno conferenda. Intuitu harum personarum ex principiis pontificiorum utique sacrilegium esset, et etiam in foro protestantium prohibita et illicita nundinatio muneris ecclesiastici, si collator aut patronus in collatione proxeneticum aut remunerationem sub quouis colore sibi stipularet. Longe tamen alia et negotiorum et rerum species se exlerit in casu, quo tertius quidam in collatione beneficii et muneris ecclesiastici vi officii non concurrens, commendatione habilis atque idonei subiecti penes collatorem in concilianda muneris ecclesiastici collatione interuenit. Re enim rectius pensitata simplex negotium seu contractus suffragii tunc intercederet, qui sicuti intuitu aliorum negotiorum publicorum licitus ac permissus, efficax et validus, quare in respectu ad officia ecclesiastica reiiciendus atque condemnandus sit, nullam legitimam ac adaequatam inuenimus rationem, in primis in foro protestantium, qui secundum principia suae religionis omni illicita et inadaequata superstitione reiecta res saeculares spiritualibus annexas quibus per indirectum committi possit crimen simoniacum plane ignorant. Si modo conciliator in sua conciliatione non sordide et inhoneste procedat, si hoc enim factum, et in hoc nego-



negotio, eodem modo, vti in conciliatione negotiorum saecularium nullum exigere potest proxeneticum, sed eo indignus iudicandus manet.

§. 10.

Haec proxenetica autem, aut honoraria proxenetis debita ad extraordinarias cognitiones referuntur, aut potius fiunt negotium iuridicum, quod formam externam in legibus romanis non satis determinatam habet, et hinc quoties de illis litigatur causa summario processu pertractanda manet. Sic enim per L. 1. D. de extraordinar. cognit. huc in genere referuntur non solum omnia honoraria, quae pro laboribus soluntur; non certam aestimationem admittunt. Quo spectat etiam officium proxenatarum partim quia vi L. 3. D. de proxenet. in determinando proxenetico ad negotium, in quo operula ista defuncti sunt, et ministerium quale accommodarunt, respiciendum manet. Partim quia in genere in L. 2. D. eod. dicitur, quod nec actio mandati, nec locati conducti contra proxenetam proprie et directo locum inueniat, quia proxeneta magis monstrat negotium expediendum, quam mandat, aut quia nullus proprie specialis contractus cum proxenetis ipsis interuenit, sed ipse contractus specialis inter principales contrahentes per proxenetas tanquam nuncios et interpretes perficitur, qui hinc quoque inter solos contrahentes principales iura producit et obligationes, non autem inter principales contrahentes et proxenetam, cuius intuitu potius negotium inter principales personas et proxenetas interueniens, tanquam





quam species contractus innominati considerari debet. Unde et porro sequitur, quod quia in contractibus innominatis promittens per arg. L. 17. §. 1. D. praescript. verb. non ultra dolum aut culpam latam obligatur, etiam proxeneta secundum ius Romanum de dolo solum et culpa lata teneatur, et secundum L. 2. D. de proxenet. si dolo vel calliditate creditorem circum venerit, per actionem de dolo malo conveniri debeat. Ita ut ne quidem sola commendatione rei proxeneta se obligatum reddat, partim quia simplex commendatio nullam obligationem producit, et partim in adl. L. 2. D. de proxenet. etiam proxeneta qui nominis faciendi causa interuenit liberatur ab actione, tamen si laudet nomen. Qua ex causa etiam PERETZ ad tit. C. de sponsalib. n. 21. dicit, quod proxeneta non teneatur propterea, quod pulchritudinem sponsae, eius nobilitatem, aut diuitias ultra verum extulerit, quia solum excedere videtur laudando vel commendando puellae nomen et bonam famam, quod remunerari aequum est. Accedit, quod nec ipse venditor per L. 19. pr. D. de aedilit. edict. propter nudam laudem serui venditi teneatur, veluti si dixerit, frugi, probum, dicto audientem, quia multum interest, serui commendandi causa quis dixerit, an vero praestaturum se promiserit, quod dixit. Eo magis ergo hoc in proxeneta obtinet, quia commendato in se considerata obligationem producere non potest per L. 12. §. 12. D. mand. et contra eum, qui specialem licet commendationem adhibet et eum, cui mutua datur pecunia idoneum esse adfirmat tamen L. 7. §. 10. D. de dol. mal. nullam actionem permittit, nisi ex magna et evidenti



ti calliditate. Hinc magna haec et evidens calliditas aut dolus proxenetæ a creditore doceri debet qui indemnificationem a proxeneta exigere vult, quia in illa totam suam actionem fundat, quare et TITIVS in iuris priuat. Lib. 10. cap. 6. §. 9. contendit, quod proxeneta ob male laudata animi fortunæque bona, vtique quidem obligetur, sed difficulter conueniatur. Interim tamen et culpa lata proxenetæ, quippe quæ in civilibus in genere dolo æquiparatur, et dissoluta culpa prope dolo aestimatur per L. 29. pr. D. mand. vtique et obligationem proxenetæ ad indemnificationem producere potest, quia in d. L. 29. pr. D. de dol. mal. ex hoc fundamento fideiussori, qui scivit pecuniam numeratam non esse, et tamen exceptionem doli, aut non numeratæ pecuniæ creditori agentis non opponit, actio mandati contra creditorem, et regressus denegatur, et præterea qui scienter debitorem inidoneum commendauit in L. 8. D. de dol. mal. ad damnum reparandum per actionem doli condemnatur.

§. II.

In genere autem, quoties proxeneta obligatur creditori iure Romano per actionem doli creditor experiri debet, et proxeneta contra eum cuius negotium conciliauit secundum ius Romanum extraordinaria cognitione per implorationem iudicis, aut per actionem in factum a prætorè suppeditandam agere debet. Si modo hoc in casu aliquid determinatum promissum sit. Si enim proxenetæ plane indeterminata promissio facta adplicationem merito inuenit L. 56. §. 3. D. mandat. et L. 17. C. mand. quæ expresse disponunt, quod salarium incertæ pollicitationis





peti non possit, et neque extra ordinem exigatur, neque iudicio mandati nisi negotium a proxeneta praefitum ita qualificatum, vt mercedem per consuetudinem seu obseruantiam quodammodo determinatam admittat, tunc enim ex arbitrio iudicis determinatio proxenetici obtinere potest.

Interim tamen, qui per proxenetam contrahit, aut negotium init, eodem modo tenetur, ac si ipse immediate contraxisset, vnde et tertius cum proxeneta eius nomine contrahens contra ipsum committentem ad implendum promissum agere valet. Sicuti et promissio proxenetae facta committenti, siue tertio, cuius negotium proxeneta expedit, ius quaesitum tribuit vnde et LEYSER. spec. 682. med. 11-13. per iudicata et exempla in foro probata docet ex promissione dotis a proxeneta seu per proxenetam facta marito et obligationem et actionem competere, ita vt et in promissione eius nomine facta qui in alimenta perfecte tenetur, hoc obtineat, licet promissio impersonaliter et indeterminate facta sit.

§. 12.

Penes Romanos itaque et secundum principia iuris Romanorum, penes quos semper proxenetae priuata auctoritate expeditionem negotiorum alieno nomine suscipiebant, hinc simplices internuncii erant, et qui differentiam inter proxenetas publicos et priuatos plane ignorabant, et quibus nonnisi proxenetae priuati cogniti erant, penes Romanos inquam, qui ad formulas et causas ciuiles in diiudicandis ex contractibus originem ducentibus obligationibus exacte respiciebant



ciebant, ad id, vt actio originem habere possit, omnia  
 haec supra exposita rite, et cum analogia iuris cohae-  
 rebant. Penes nos autem contra ea, et in nostra Ger-  
 mania vbi publica auctoritate constituti ad instar officia-  
 lium publicorum, in primis in celebrioribus emporiis  
 ad promouendum commerciorum florem deprehen-  
 duntur, qui vi officii publici sibi demandati in com-  
 merciis promouendis officio suo publico funguntur,  
 quaestio merito manet, in quantum mutato hoc pro-  
 xenetarum statu applicatio legum romanarum de pro-  
 xenetis in Germania nostra locum inueniat. Hoc cer-  
 tum est, atque a LEYSERO in spec. 681. med. 1. op-  
 timo iure contra TITIVM in iur. priuato Lib. 10. cap.  
 6. §. 1. contenditur atque defenditur, quod proxene-  
 ta publicus dici non possit, nisi a magistratu publico  
 constitutus, et confirmatus, priuati autem contra-  
 hentes licet etiam in communem proxenetam consen-  
 tiant, eumque communi suffragio eligant immo societas  
 mercatorum quae collegialiter proxenetam eligit et  
 constituit, non publicum sed priuatum solummodo pro-  
 xenetam constituit, nisi in vltimo casu specialia statuta  
 loci et priuilegia separata collegio mercatorum ius pu-  
 blicum proxenetam constituendi concedant, et haec  
 probari possint. Ad personam publicam et officialem  
 publicum constituendum semper magistratus et impe-  
 rantis auctoritas requiritur, et secundum arg. L. 11.  
 C. qui potior. in pignore instrumentum a notario conse-  
 ctum et trium testium subscriptione munitum non instru-  
 mentum publicum sed quasi publicum dicitur. Publice  
 proxenetae, quia negotia sibi commissa non ex amicitia  
 et fauore personae suscipiunt, sed potius in expediendis  
 et conciliandis hisce negotiis publicam professionem fa-  
 ciunt,





ciunt, atque vi officii sibi demandati pro proxenetico consueto et determinato omnibus indistincte requirentibus operas suas in conciliandis negotiis praestant, immo praestare debent, sunt et manent utique et absque omni dubio personae, quae pro mercede conducti operas suas promittunt, hinc ex locatione conductione, et natura huius contractus tenentur. Operae eorum sunt absque pecuniariam aestimationem admittunt, et proxenicum quod illis, non pro amicitia praestita, sed pro operis vi officii praestandis, actu praestitis soluitur, est secundum principia in pertractatione contractus locationis conductionis obuia merx, et non manet honorarium. Proxenetiae publico ergo competit ius, hoc proxenicum tanquam veram mercedem promeritum per actionem locati conducti ordinariam a committente exigendi, sed et ipse committenti ex locato conducto obligatus manet, et hinc non solum de dolo vel culpa lata tenetur, sed et de culpa levi praestanda. Ita ut etiam in municipiis, et emporiis, quorum arcis communibus priuilegia fisci concessa seu iure fisci inuestita et priuilegiata sunt, sicuti hoc in plurimis celebrioribus emporiis deprehenditur, et tunc proxenetae publici publica magistratus auctoritate constituuntur, etiam qui istorum publicorum proxenatarum fidem sequuntur, tacita ac generali hypothecae in omnibus bonis proxenetae gaudent. Sicuti LEYSER. spec. 681. med. 1-5. hoc docet et demonstrat, ut et spec. 227. med. 2. quia ius tacitae hypothecae quod toti et integrae ciuitati in corpore eo in casu in bonis publicorum administratorum bonorum ciuitatensium competit per L. 2. §. 2. D. ne quid in loco publ. etiam singulis membris reipublicae competere, et proficua esse debet. Nec obstat



obstat dubium ex inde forsitan desumptum, quod tacita hypotheca semper legem specialem hanc hypothecam concedentem praesupponat, eiusmodi autem lex specialis intuitu huius tacitae hypothecae in iure Romano deficiat. Recte enim in contrarium monet LEYSER. spec. 681. adl. quod varia publicorum administratorum genera longe post tempora Romanorum innotuerint quorum tamen conditio et iura ex legum Romanarum argumento diiudicari debent. Licet non negam LEYSERI in spec. 227. adlegatum argumentum hanc sententiam plus iusto extendere quando defendere fatagit omnibus ciuitatibus iura fisci et reipublicae competere, nam in vtraque quidem lege a LEYSERO l.c. ad fundandam et probandam hanc suam adfersionem adlegata denominatio reipublicae et ciuitatibus tribuitur, exinde tamen non perspicimus pronam consequentiam cum hac denominatione simul ciuitatibus in se spectatis omnia et singula iura reipublicae simul data atque collata esse. Vox enim et terminus reipublicae, sicuti notum quam quod notissimum, aut in sensu generaliori aut specialiori sumitur. In sensu generali res publica est societas hominum quae ad obtinendam publicam salutem communi imperio civili subiecta est. Hocce autem commune imperium civile vel summum est, vel subordinatum, quod vltimum magistratus nomine venit. Quando itaque nobis concipimus societatem hominum qui se communi subordinato imperio civili seu communi magistratui ad obtinendam publicam salutem subiecerunt, in sensu quidem generali haec societas quoque respublica dici potest, et dicitur in legibus adlegatis, sed ex inde non fluit consequentia, quod etiam omnia ac singula reipublicae iura quae illi ex idea summi imperii civilis cui subicitur, competunt

D

petunt





petunt, hinc iura reipublicae in sensu specialiori sumtae competere debeant et possint ciuitati, summi imperii civilis plane experti. Et in sensu specialiori ciuitas in se considerata nec dicitur in legibus adl. nec dici potest respublica, sed in sensu generaliori solummodo, vnde nec valet consequentia a LEYSERO ex hac denominatione legali deducta, quod scilicet cuilibet ciuitati per suam naturam ius fisci, tanquam annexum summi imperii civilis, cum omnibus suis annexis competat. Sola enim annexa iurisdictionis ciuitati qua tali, vi magistratus et iurisdictionis competere possunt, sed ab annexo iurisdictionis ad ius fisci nequaquam per notoria iuris valet consequentia.

§. 13.

Eiusmodi proxenetae publici praeuio iuramento officiali generali publica auctoritate constituti propter officium publicum illis commissam etiam publicam personam sistunt in officio sibi commissio et hinc in rebus et negotiis sibi commissis publicam fidem habent sicuti CARPZOV. dec. 130. satis docet. ita vt v. c. attestatum eiusmodi proxenetae publici de quantitate et valore externo pecuniae, vulgo ein Märker Attestat wegen der coursirenden agiori einer Münz-Sorte, plenam probationem faciat, et depositioni vnus proxenetae publici iurati, licet vnicus solummodo testis sit tamen plenam sistat probationem, nec dubium, quod tanquam testis in propria causa admitti debeant ad testimonium illis propter publicam fidem per officium iuratum semel pro semper illis commissum obstat.

§. 14.

Quod autem priuatos proxenetas attinet, qui hoc officium non publice vi officii profitentur, sed ex amicitia



tia atque favore erga hanc vel illam personam in conciliandis aliorum negotiis iuridicis operas suas priuata auctoritate praestant de quibus in legibus Romanis proprie sermo est, quique hinc in L. 3. D. de proxenet. licet proxeneticum sibi stipulare possint, tamen officinae magnarum ciuitatum vocantur, illi et adhuc hodie simplices internuncii manent cum quibus principales contrahentes proprie non contrahunt, hinc nec per se aut directo in negotiis initis ad proxenetas respiciunt, sed potius contra eos, quorum nomine proxeneta negotium conciliant directe agunt, nec contra proxenetam actionem mandati, aut locati conducti habent, sed potius vi L. 2. D. de proxenet. ex dolo aut culpa lata contra eos experiri tenentur. Nisi forsitan proxeneta proprio nomine non vt proxeneta, sed vt principalis negotium conciliaverit quippe quo in casu principia ex doctrina de mandato applicationem inueniunt.

§. 15. Sed deprehendimus quoque in foro saepe numero proxenetas priuatos, qui non ex amicitia et favore erga personam principalem, sed lucri sui causa et professionem facientes omnibus quibuscunque in conciliandis negotiis praesto sunt, et lucri causa ad operas praestandas indistincte parati, licet non a magistratu publica auctoritate ad hoc officium constituti sint. Intuitu horum idem illud fundamentum adest, vt in proxenetis publicis quod scilicet eorum operae ex natura locationis conductionis diiudicandae maneant. Sed tamen non sunt personae publicae, hinc tacita hypotheca in bonis eorum cessat, et nuda personalis obligatio, et personale ius remanet. Eodem modo nec publica fides testimoniis eorum tribuitur, sed tanquam simplices testes priuati.





vati considerandi manent. Vnde et in quaestione, an eiusmodi proxeneta in negotio sua conciliatione peracto testem omni exceptione maiorem facere possit? utique distinctio adhibenda erit an sit proxeneta unilateralis, ab vna parte principalium in expediendo et conciliando negotio solummodo adhibitus, an bilateralis, vtriusque principalis consensu adhibitus. Ille non testis solummodo suspectus, sed et inhabilis est a iudice ex officio repellendus, quia L. ult. D. de testib. expresse disponit, quod iudices attendere debeant, ne patroni in causa eius, cui patrocinium praestiterunt testimonium dicant, immo quod etiam in executoribus negotiorum hoc obseruandum sit. Et eiusmodi proxeneta priuatus unilateralis, aut testimonium diceret pro suo principali, aut contra eum. Illo in casu propter affectionem in causam suspectus manet, aut propter proprium interesse forsitan concurrens plane inhabilis pro re nata, et concurrentibus in casu dato circumstantiis. Hoc contra ea in casu sibi suaeque fidei commissa contra fidem datam reuelaret. conf. LEYSER. spec. 681. med. 9. et 10. Vnde et Nov. 91. cap. 8. disponit, quod proxenetae inuito testimonium denunciari non debeat. Sed longe alia ratione iudicandum manet de proxenetis bilateralibus, quia intuitu eorum per L. 67. §. 1. D. de rit. nupt. par affectionis causa omnem frandis et inhabilitatis suspicionem tollit et remouet, hinc utique admittuntur; et caeteris paribus testes omni exceptione maiores euadunt, cuius depositio iuramento aut suppletorio aut purgatorio pro renata viam pandere valet.





VD  
18


ULB Halle 3  
005 372 003  









Farbkarte #13

B.I.G.

*Tr. 27. num. 3.*

VRALIS IVRIDICA

NETIS  
NETICIS

*1772, 3*

*8*

ORITATE ILLVSTRIS  
ORDINIS

IDE  
CONSULTISSIMO  
O BECKERO

G. GRYPHICA ACADEMIA  
ET P. T. DECANO

ENTIA  
E HONORES ET PRIVI-  
TIME CONSEQVENDI  
NO MDCCLXXII

SVETIS  
EFENDET

OR  
LIEB TADDEL  
DVCALIS IVSTITIAE, QVAE  
SISTORII PROCVRATOR  
IVS.

ALDIE  
A. F. RÖSE  
TYPOGR.

